



Universitätsbibliothek Paderborn

**Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola,
Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

28. Januarij. Si qua à Deo creata sunt bona omnia in una, & in altera lance carcer, catenæ, probra locarentur; illa præ istis momentum habere deberent nullum. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5. c. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-50423)

prodigium sit, unum in his cum alio con-
venire ; major in anima , rebūsque hanc
spectantibus diversitas. Non sinunt se ad
unam omnes modelam cogi.

Si suus pedi cuilibet aptatur calceus,
nec unum cuique patellæ servit opercu-
lum; quî fieri possit, ut unâ singuli anima-
rum morbi curentur medicinâ. Hoc non
esset sanare, sed perdere.

Ars artium est regimen animarum , ut
quæ stuosissima omnium, ita longè difficil-
lima. Ut corpus, ita & animam, non cuili-
bet medico fidas. Quæras optimum.

Dum Spiritus Sanctus animarum Ma-
gister venit , in varias se partitus est lin-
guas , & variis linguis loquebantur Apos-
toli : Omnibus nempe omnia fieri debet,
qui audire vult Apostolus.

28. Januarij.

*Si quæ à Deo creata sunt bona omnia in u-
na, & in altera lance carcer, catena, pro-
bra locarentur ; illa præ istis momentum
habere deberent nullum. S. Ignat. apud
Ribaden. l. 5. c. 10.,*

Bona, quæ mundus ita nominat, mala
potius sunt , quam bona, quia sunt

animæ detrimenta, peccatorum illicita, perfectionis impedimenta, Divini amoris obices. Et hæc tu bona credas? credas optimilia?

Et licet mala non essent, bona non forent, nec amorem mererentur. Quid enim sunt? si originem inspicis? nihil; si naturam examinas? fluxa; si durationem attendas? brevia. Et hæc tam stultè deperimus!

Quæ mala mundus judicat, optima sunt: à perituriis mentem abstrahunt; cogunt ad Deum; peccati occasionem admittunt. Cùm enim tædet vivere, qui peccare delectet?

Cùm bona fortunæ largitur Deus, dona misericordia, an pœnas? jure ambigas, ast cùm premit adversis; nullum certius divini amoris argumentum.

29. Januarij.

Perpetua felicitati non fidendum: tumqu metuendum maximè, cùm ad nutum fluunt omnia. S. Ignat. in hist. Soc. 14. n. 9.

UT mare, dum maximè placidum ridet, tempestates coquit; & nunquam certius periclitantur arces, quād dum pacatis foris omnibus hostis cuniculos agit: ita plane